

Lutherus de consilio optimorum Virorum ad hunc nouum & optima spei Imperatorem, & exemplo B. Athanasij suppliciter rogat, ne Casarea Maiestas nondum auditum sese condemnari patiatur, sed patrocinium sui suscipiat aliquod, si causam iustam & piam agat. Si verò causa mala sit, se nequaquam vllum patrocinium petere, sed se paratum esse ad penas & supplicium subeundum. Interea aduersa pars agit apud Pontificem contra Lutherum. Et cum Lutherus nuper de utraq; specie, ut appellabant, cena Dominica exhibenda & usurpanda iuxta verbum & mandatum Christi, rudiores monuisset, Episcopus Misnensis publico edicto mandat subditis, ne admonitioni Lutheri fidem habeant. Huic edicto cum Lutherus responderet, & quidem modestissime, offendit non tantum Pontificios hostes suos manifestos, sed etiam in ipsa Electoris aula precipuos Consiliarios, & in his terris nobiles, qui vnius Monachi causa nolebant Episcopum partim sanguine, partim affinitate, partim alijs rationibus sibi coniunctum, ut ipsi loquebantur, diffamari. Et fuit propterea Lutherus de loco & mansione sua ferè incertus. Nam in exilium eum missum iri, communis fama in vulgo ferebat, & ipse sibi aliud nihil policebatur: quapropter in Bohemiam se iturum esse, & Germaniam relicturum iudicio Dei, statuebat, idq; animo suo prorsus fixum tenuisset, nisi quidam nobilitate prestantes
Germani,